



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Clara De Monte Falco V. 17. Augusti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

512 VITÆ SANCTORUM. 17. Aug.  
sâlbum asportasse , Angeli præsidio , qui  
luce insolenti , quotquot yim inferre  
Virgini meditabantur , omnes excæca-  
vit . Restituit tamen illa facinus dete-  
stantibus oculos , & post viçtos iterum  
ignes gladio cæsa novo more & specta-  
culo nunquam Romæ viso cum Fratre  
foror triumphavit . Ex Metaphr.

Tale viri Christiani Apostolus voluit esse  
convivium , ut magis fides Christi , quam  
prandii sagina comedatur ; & plus reficiat  
hominem Dominici nominis frequens in-  
vocatio , quam epularum multiplex &  
copia collatio , meliusq; pascat religio , quam  
sagina . S. Max. hom. 2. de Carn. Host.

S. CLARA DE MONTE FALCO V.  
· 17. Augusti.

**C**orculum videre te Cæli puta , quif-  
quis Cor hoc CLARÆ vides tantâ  
verecundiâ Virgunculæ , ut loqui aliter ,  
quam vultu velato , religionem professo  
germano erubuerit , vulnus etiam à  
tali oculo timens , quid imò facinus  
non nisi lacrymis expiandum rata imprudentem in somno pedem lectulo  
extulisse . Huic pudori tuendo noctes  
per vigilavit ; infandis flammis cilicia  
objecit ; Cupidinem flagris , virgis &  
urticis terruit ; hostem verò intestinum  
ultimâ fame domuit , linguamque ita  
frenavit , ut vel semel tanquam , matris al-  
loquer-

17. Aug. VITÆ SANCTORUM. 513  
loquendæ gratiâ , silentium in vitâ frege-  
rit. Huic virtuti insidias facturis Vetera-  
tor Joannam sororem (vitæ tam sanctæ  
Magistræ) mentitus est , & virginita-  
tem cum velo jussit exuere , ni vitâ velle  
exuit. Sed rejectâ hâc adulterinâ sorore ,  
vitæ doct̄or deinceps Christus successit.  
Hic modò CLARÆ vel è Matris sinu  
osculum , vel seipsum manibus suis ci-  
bum ferre , vel stipem mendicus aufer-  
re ; modò Agnelli formâ castissimæ col-  
ludere , modò denique cum Cruce Spon-  
si habitu adesse , & locum huic in corde  
expetere. Atque tunc nobilem illam ,  
& quam in grandi demortuæ corde ad-  
mirabundus Orbis spectavit , peractam  
cælaturam credimus , quæ præter ternos  
eiusdem inter se ponderis globos (nobile  
Sanctissimæ Triadis symbolum) omnia  
Sponsi patientis arma exhibuit. In nobis  
nil tale ideò Cælum sculpit , quia dura-  
heu! nimis saxagerimus. Ex monum. Eccl.  
Mont. Falc.

*Infige pectori tuo , cordi tuo signaculum  
Crucifixi , infige & brachio tuo , ut opera  
tua peccato mortua sint. Nihil in his crimi-  
nis resiviscat , nihil erroris resurgat.* Ambro-  
s. in ps. 118.

KK

S. AGA-